Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De Thays

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

tero gratiat quod cum super maiores ad ultimum iudicabitur. Hiis auditis monachi et sanctimonialibus ad speluncam currentibus a feminis femina et virgo inventa Pelagia esse cognoscitur. Et cunctis presentibus congregatis in monasterio virginum honorifice sepelitur.

De thays

Thays meretrix ut in vitis patrum legitur tante pulchritudinis extitit ut multi pro ea venditis substantiis suis ad ultimam paupertatem devenirent. Sed amatores sui pre(?) zelo litibus inter se conserentes frequenter puelle limina sanguine iuvenum replebant. Quod cum audisset abbas Pafnucius sumpto habitu seculari et uno solido profectus est ad eam in quandam Egypti civitatem. Deditque ei solidum quasi pro mercede peccati. Illa accepto precio ait illi: Ingrediamur in cenaculum(?). Cumque ingressus esset et lectum preciosis vestibus stratum ascendere invitaretur, dicit ad eam: Si est interius cubiculum, ibi intremus. Et cum duxisset eum ad plura loca, ille semper dicebat quia videri timebat. Illa autem dixit: Est quidem cubiculum ubi nullus ingreditur. Si vero deum times, nullus est locus qui divinitati eius absconditur. Quod cum senex audisset, dixit ei: Et scis esse deum? Cumque illa respondisset se scire deum et regnum futuri seculi nec non et tormenta peccatorum, dixit ei: Si ergo nosti, cur tantas animas perdidisti? Et non solum pro tua sed pro illarum ratione reddita invenieris(?) dampnabilis(?). Illa vero hec audiens provoluta ad pedes abbatis Pafnucii cum lacrimis exorabat dicens: Scio esse penitentiam, pater, et confido remissionem te orante sortiri. Tantum peto tribus horis inducias et post hec que iusseris do(?) et quecumque preceperis faciam. Cumque locum illi abbas constituisset, ubi venire debet, illa collectis omnibus quecumque ex peccato lucrata fuerat, in plateis in medio civitatis populo spectante igne combussit clamans: Venite omnes qui peccastis mecum et videte quomodo ea que mihi contulistis exuro. Erant autem precii auri librarum quadringentarum. Que cum omnia incendisset, ad locum quem abbas Pafnucius constituerat properavit. Quam ille recepto virginum monasterio in cellulam parvulam recludens hostium celle plumbo signavit et parvam reliquit fenestram per quam ei victus modicus inferretur. Iussitque ei omnibus diebus parum panis et paululum aque a ceteris ministrari. Cum autem senex discederet, Thays ad eum ait: Quo iubes pater ut ex naturali meatu aquam meam effundam? Et ille: In cella sicut digna es. Cumque iterum quomodo debet adorare inquireret, respondit: Non es digna nominare deum nec in labiis tuis nomen trinitatis adducere, sed nec ad celum manum extendere, quoniam labia tua iniquitate plena sunt et manus tue sordibus inquinate. Sed tantum in orientem versa respice, hunc sermonem frequenter iterans: Qui plasmasti me miserere mei. Cum ergo tribus annis fuisset inclusa, condoluit abbas Pafnucius et profectus est ad abbatem Antonium, ut ab eo requireret si remisisset illi deus peccata sua. Et narrata causa sanctus Antonius convocatis discipulis suis precepit eis ut illa nocte vigilantes in orationem(?) persisterent singillatim, quatenus alicui eorum deus declararet causam pro qua abbas Pafnucius venerat. Cum ergo incessanter orassent, Paulus maior discipulus Antonii vidit subito in celo lectum preciosis vestibus ornatum, quem tres virgines clara facie custodiebant. Tres ille virgine

fuit et timor pene future, qui ipsam a malo retraxerat. Et pudor autem peccati commisse que ei ueniam promeruit. Et amor iustitie qui eam ad superna transtulerat. Cumque Paulus illis diceret, quod non illa tanta non esset antonius sed Thaisis meretrix. Quod cum iam ne abbas Paulus retulisset, cognita dei uoluntate abbas Pannucius cum gaudio discessit. Et mox peruenit ad monasterium, hostium celle dissipauit. Illa uero rogauit ut adhuc maneret inclusa. Dixit autem ei: Egredere, quoniam remisit tibi deus peccata tua. Et illa respondit: Testor deum, quia ex quo hic ingressa sum ex omnibus peccatis meis feci uelud sarcinam et statui ante oculos meos. Et sicut non discedit anhelitus de naribus meis, sic nec discesserunt peccata mea ab oculis meis, sed flebam super illa considerans. Cui abbas Pannucius dixit: Non propter penitentiam remisit tibi peccata tua, sed quia hunc timorem semper habuisti in animo. Et cum eam inde eduxisset, XV dies superuixit et pausauit in pace. Abbas quoque Effrem aliam meretricem simili fere modo conuertere uoluit. Nam cum meretrix Effrem sanctum ad peccandum alliceret, dixit ei Effrem: Sequere me. Que sequens eum ad quendam locum ubi erat magna multitudo hominum uenisset, dixit ei: Sede hic ut coniungar tecum. Et illa: Quomodo possum hic facere tanta multitudine astante? Et ille: Si homines erubescis, quomodo magis tuum debes creatorem qui reuelat occulta tenebrarum. Illa autem confusa recessit.

De sancto Dyonisio

Dyonisius interpretatur uehementer fugiens. Vel dicitur Dionisius a dyai quod est duo et sius quod est eleuatio, quasi in duo eleuatus, scilicet secundum animam et corpus. Vel dicitur a dyane quod est uenus, scilicet dea pulcritudinis, et syos quod est deus, quasi pulcher deus. Vel ut quidam aiunt dicitur a dyonisia que ut dicit ysidorus est quedam gemma nigra ualens contra ebrietatem. Et fuit quidem uehementer fugiens de mundo per perfectam abrenuntiationem. Eleuatus per interiorum contemplationem. Pulcher deus per decorem uirtutum. Valens peccatoribus contra ebrietatem uitiorum.

Hic autem ante conuersionem multa nomina habuit. Vocatus est enim ariopagita a uico in quo habitabat. Et dictus est theosophus, id est deus sapiens. Et dictus est [illegible] sapientie. Usque hodie dicitur Pterigion tou ouranou, quod latine dicitur ala celi. Quia in celum ala spiritualis intelligentie mirabiliter uolat. Et dictus est macharius, id est beatus. Et dictus est apud [illegible] ionicus. Ionica autem ut ait Papias una est ex linguis grecorum. Vel ionice est genus columpne. Vel ionicus ut idem dicit est pes qui habet duas correptas et duas longas. Et per quod ostenditur quod ipse fuit sapiens deus per occultorum inuestigationem, quantum ad ala celi per celestium contemplationem. Et beatus per eternorum possessionem. Quantum ad alia ostenditur quod ipse fuit mirabilis rethor per eloquentiam. Et [illegible] per doctrinam. Et breuis [illegible] per humilitatem. Et longus alius per caritatem. Augustinus autem in libro de ciuitate dei dicit quod ionicum est genus philosophorum. Distinguit enim ibidem duo genera philosophorum, scilicet ytalicum quod est ex parte ytalie et ionicum quod est ex parte grecie. Et quia Dyonisius summus erat philosophus, ideo antonomasice dicebatur ionicus. Eius passionem et uitam grece dictauit methodius constantinopolitanus, latine uero anastasius apostolice sedis bibliotecharius ut dicit Hincmarus remorum episcopus.

De s[illegible]